



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

792. An, & qualiter collatio facta retrotrahatur ad diem vacationis, ut fructus debeantur proviso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

liter impediatur devolutio. Illud solum notandum ex Burzio *ad cap. his, quibus. n. 4.* apud Laym. *ibid. n. 2.* quaedam esse impedimenta ordinaria, ideoque prae cognita à decernente tempus, v. g. quòd Capitulares advocare debeant absentes, atque interea nequeant eligere, & hoc tempus curri illis, quia ideo longior praefixus terminus fuit, quòd ejusmodi mora frequenter interponi debeat. Verùm id non tam concernit trimestre datum à jure ad eligendum, quam tempus intra hoc trimestre designatum ab ipsis Capitularibus. Quaedam autem esse impedimenta extraordinaria, & per accidens occurrentia, & hæc cursum temporis, etiam à jure statuti, impediunt.

Questio 790. *An, cessante impedimento, rursus aliud semestre integrum indulgendum sit, vel intra residuum primi semestris, aut etiam mox à cessante post devolutum jam totum semestre primum impedimento facienda provisio?*

Respondeo: indulgeri denuo semestre integrum à cessante impedimento. Lott. l. 2. q. 24. n. 27. Argumento l. & ideo. de verborum obligat. Idem est, si impediatur provisio fortiori effectu ex aliquo vitio occulto ipsius provisio, vel propter non acceptationem, aut obitum, cessante tamen fraude. c. si electio. de elect. in 6. Lott. loc. cit. citans Azor. p. 2. l. 6. q. 7.

Questio 791. *An, & qualiter collatio facta post semestre sit irrita, & tamen tolerata convalescat?*

Respondeo: ad hoc dictum satis, ubi qualiter is, ad quem facta devolutio, inferiori collatori, à quo ea facta, concedere possit conferre post elapsum semestre, seu illud tempus prorogare.

Questio 792. *An, & qualiter retrahatur collatio ad diem vacationis, ut fructus debeantur provisio?*

Respondeo: cum fundus beneficii post collationem factam spectet ad provisorium, cui fingitur à momento vacationis facta provisio, hinc inspecta juris communis dispositione, ei debentur fructus usque ab initio vi retractiva. Lott. l. 3. q. 21. num. 117. citans Surd. cons. 333. num. 23. & 24. Gem. &c.

Questio 793. *An, & qualiter collator conferre possit tempore litis pendens?*

Respondeo: collator inferior impeditur conferre lite pendente. c. 2. ut lite pendente. in 6. Sic si duo in discordia electi ad eandem praelaturam (idem est de promotis ad idem beneficium à diversis collatoribus, jus collationis pretendentes eorum singulis privative) litigant coram Papa vel alibi, & lite pendente unus ex illis moriatur, vel juri suo renunciaret, vel à prosecutione illius excludatur, interim dum lis super alterius electione (idem est de provisione alia) pendet, non potest ad novam electionem aut provisionem procedi, ita ut, si nova electio attentata fuerit, ea ipso jure sit irrita; ita Bonifac. VIII. statuit in c. dispendis. ut lite pend. in 6. Ita etiam, ut si postea appareat electum seu provivum nullum jus habere in beneficio, non

P. Leursen, Fov. Benef. Tom. II,

tamen electio seu provisio secunda, seu attentata convalescat; quia ab initio fuit nulla. Pirh. ad tit. ut lite pend. num. 17. Sic si contra eum, cui collatum beneficium, de ipsius habilitate exceptum fuit, pendente hæc lite super collatione prius facta, non potest collator alium providere, quia lite pendente nulla potest fieri mutatio. Pirh. loc. cit. loquens quidem de patrono & presentatione, hoc ipsum tamen collationi, & collatori applicandum. Sic etiam, si is, contra quem super beneficio, quod possidet, litigatur, lite pendente cedat, vel decedat, seu moriatur, non potest beneficium hoc per cedentem vel decedentem possessum, contra quem litigabatur, alteri conferri, donec lis contra superstitem fuerit finita, alioqui collatio aut quavis alia provisio erit jure ipso nulla. Sic statuit Bonif. VIII. in cap. si is. ut lite pend. in 6. Estque hic casus diversus à casu. c. dispendis. dum hic est de beneficio jam obtento & possessio, iste de obtinendo, quamvis utriusque constitutionis eadem sit ratio, ne scilicet lite pendente aliquid immutetur, quod alterius litigantis partis conditionem deteriore reddat. Pirh. loc. cit. atque ita collator ordinarius non potest interea jus, quod defunctus vel renunciatus habebat, conferre alteri; quia superstitis petitoris seu actoris interest, ne adversario ejus mortuo vel renunciante, alius possessor in ejus locum substituatur, & sic reddatur ei difficilius obtentu beneficium iterum plenum per hanc substitutionem, quam vacuum possessore; et si contra cedente vel decedente peritorem seu actorem possit subrogari in locum illius alius actor; quia possessoris beneficii nihil interest, si ordinarius collator, sive alius subrogatus cum illo litiget, & ipse pergit eodem modo possidere. Pirh. l. c. n. 19.

2. Porro procedunt hæc, nimirum quòd de beneficio litigioso provideri non possit ab inferiore collatore, quiscunque demum is sit, etiam si is sit Legatus, in cujus facultatibus habeatur clausula potestatis conferendi litigiosa, utpote, quæ restringitur ad vacationem per resignationem. Lott. l. 2. q. 54. n. 83. citans Lancell. de attent. in praef. n. 53. Put. decis. ult. de offic. Ordinar. & decis. 26. de preb. suntque horum collatorum manus vi litis omnino ligata, & facta ab eis interim provisio nulla. Lott. l. 2. q. 28. num. 67. Perdit autem litigiosum beneficium cum extinctione litis hanc qualitatem, cessatque impedimentum ex ea inferioribus collatoribus natum, sive id contingat per mortem utriusque colligantis, sive unius, qui erat in possessione, modò extra Curiam defunctus sit. Clem. 1. ut lite pend. neque enim vitium litigiosi ultra litem profertur. Lott. cit. q. 20. n. 70. citans Vitalin. Pirh. n. 20.

3. Observandum etiam, quòd si lis sit inter provisos à diversis collatoribus super certo beneficio, quæ dependeat ab ipso jure conferendi, illa quidem lite impeditur conferri beneficium illud, quod est in lite, sed non impeditur, quò minus in vacationibus, aliorum beneficiorum collator, qui est in quasi possessione conferendi, eam continuando conferat. Lott. n. 14. & 16. Idque procedit, sive sint in lite collatores, sive secus; quia textus cit. c. 1. ne lite pend. in effectu applicari non potest, nisi illi beneficio in individuo, super quo inter se principaliter disceptant provisio, qualiscunque enim ea sit lis, respectu beneficii, super quo lis est, non potest dari superstiti novus colligatus. Lott. n. 15.

Gg 2

4. Item